denter faceret: Sed nihil consulo: Conveni
quidem quendam ex senatorio ordine: Sed
nihil is certi polliceri voluit. Itaque si non ex
sententia tua respondere queam, dabis mihi
veniam. Serenissimus noster Elector nuper
auctus est tertia prole mascula, cui baptismus
postridie Cal. Jan: paratur. Terremotus novus
nuper hunc Rheni tractum terruit. Si status
Ecclesiae vestrae tranquillior nunc floret, est
quod gratuler et gaudeam. D. Georgium
Schensliebium ex me velim salutes, atque
indices tandem controversias meas Eucharisti-
cas jussu et aliorum flagitatione lucem vi-
suras futuris nundinis, quanquam non
integras, quia amanuenses mihi defuerunt.
Vale vir clarissime, meque quod facis, ama. Hei-
delb. 12. Dec: 1602.

F. Pareus.

De 10 1602.

28.

Eidem idem S. P.

Graviter nos clementissimus Deus hoc anno
exercuit. Eripuit nobis in ipso anni limine
Tossanum, paulo post Melissum, quanta Pa-
latinatus lumina! Nuper ipsum nostrum
serenissimum nobis erepturus videbatur, nisi
eum precibus piorum victus donasset, quasique ex
morte in vitam ineffabili gratia sua revo-
casset. Sic nos probat optimus Pater, et ad se
revocat, ne in mundo pendeamus. Academia
etiam destituitur toto hoc anno primari-
is antecessoribus, Theologo cum J.C. duobus.
Oremus igitur Deum, ut ruinas nostras sarci-
at, et sibi servet coetum aliquem in hac Palati-
natus sarepta. De vestrae Reip. et Ecclesiae statu
composito cum Duce [illegible] interim nihil

cognoverim, bene spero et vobis gratulor
atq; Deus magis magisq; eum confirmet,
ardenter peto. Ad literas tuas, amice
antiquissime, at veniam ejus causam esse,
de quo scribebas juvenis, apud Senatum
Ecclesiasticum à quo responsum hoc tuli ti-
bi perscribendum, cum praesentiae habeatur
ratio, non absentiam, necesse fore, ut se cu-
stoditatq; pro more examini subjiciat, judicatu-
ros se ex re praesenti atq; facturos, ut comendationem
tuam aliquid ponderis habuisse intelligas. Addebant
principio non ad Pastoratum sed ad Diaconatum ali-
quem advocandum esse ex legib; vereri etiam se, ut
hoc autumno fieri id possit, propter Domus Sapientiae
alumnos, quorum prima sit habenda ratio. Ad proximum
autem ver non defuturas occasiones. Et quia Cate-
chetam pro Ecclesia Bergensi à Senatu petiveris, no-
minant tibi quendam juvenem non ineruditum et
spectatae probitatis Petrum Ellern Belgam, quem si
voletis, hinc vocare poteritis. Haec habui, quae ad tuas
breviter responderem. Novorum feracior est vestra
Belgia et Gallia vicina quam noster Neccarus. Ex
Ungaria nihil. In Livonia Poloni saeviunt adeo, ut
totam gentem delere, et è sua ~~ditione~~ Polonia colonias
traducere decreto facto cogitent; et magnam jam
partem recuperarunt. Carolus Suecus revocatus se-
ditione Finlandorum 300. supplicio affectis, animos
suos à se alienasse, et non leviter periclitari fertur.
Haec nuper amicus quidam ad me Dantisco. Vale Vir
Clarissime, meq; quod facis ama, et ex me Dnos
Collegas et fratres, imprimis Dn. Georgium Scheuchtium
officiose saluta. Heidelb. 5. Cal. Aug. 1602.

T. D. Pareus

Inscriptio.

Ornatissimo atq; Doctissimo Viro
D. Joh. Brantio Scholae Rectori apud
Wesalienses, Dno et Amico suo antiquissimo.